




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.  
CFMAGL 2.6.119/a






Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.  
CFMAGL 2.6.119/a




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.  
CFMAGL 2.6.119/a



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.  
CFMAGL 2.6.119/a

2.6.119





HERMANNI CONRINGII  
ASSERTIO JURIS  
MOGUNTINI IN CORONAN-  
DIS REGIBUS ROMA-  
NORUM.

EDITIO ALTERA AVCTIOR  
ET EMENDATIO.



1794

HELMESTADI,  
Excudebat HENNINGVS MULLERVS  

---

MDCCCLVI.

170

HERMANNI CORNINGII  
ASSERTIO JURIS  
MAGISTRATI IN CORONA  
DIS REGIBUS ROMA-  
NORUM

EDITIO ALTERA AUCTIOR  
ET AMPLIATA



HERMANNI  
EXCULPTORIS FRANKENBERGII  
MAGISTRATI

911. 2. 2

con  
si co  
insti  
fo C  
quar  
deri  
blica  
ur su  
mis  
exer  
Prim  
est S  
illa n  
licea  
dubi  
prob  
adve  
nibu  
fa, p  
prod  
prom

# IUS CORONANDI MOGUNTINUM.



Illustris est controversia, quæ hodie inter duos Eminentissimos & summos Imperij Principes, Electores & Archiepiscopos, Moguntinum ac Coloniensem agitur, de jure coronandi Regem quem appellant Romanorum. Moguntinus enim concedit quidem illam coronandi facultatem Coloniensi, si coronatio Aquisgranî aut intra Colonicensem diocesim instituat, aibi tamen sibi soli eam vendicat. Ex adverso Coloniensis omne hoc jus Moguntino denegat, tanquam sibi uni omni loco & tempore debitum. Possit videri contentio de re levi: & vero non est in ea salus reipublicæ collocata: attamen interest ipsius quoque reipubl. ut sua cuique dignitas, suum jus servetur, præsertim maximis Principibus; quod noceant ejusmodi injuriæ saltim exemplo, & iniquum ferendo licentiæ muniant quasi viam. Principum sane, Archiepiscoporum cum primis, in officio est Sedis quemque suæ jura defendere; præsertim quum illa neutiquam sint propriæ possessionis, quæ pro arbitrio liceat alienare vel negligere. Rogatus sententiam non dubito causam Eminentissimi Electoris Moguntini approbare, etsi & lecta & cum cura à me sint expensa, quæ ab adversa parte hætenus sunt edita. Idque inductus rationibus validis quam multis: quas proinde boni publici causa, procul odio & amore, in patrocinium recti atque æqui, producam in medium, sermone nudo & simplici, ut eo promptius pateat aliis quoque veritatis inquisitio.

Antequam vero ad rem ipsam aggrediamur, maioris lucis ergo præmitteremus nonnulla; quoniam & circa illa impingitur non vulgo tantum, sed etiam ab iis qui Eminentiss. Electorem Coloniensem defendere susceperunt; & tamen sunt ipsissima veri in hoc negotio fundamenta.

I. *Principio* igitur observandum est, Cæsares nostros non una corona insigniri solere. Cis Alpes enim in Italia duplex ipsis competit, Romana altera, altera Longobardica. Trans Alpes plarumque non nisi una hactenus fecerunt sese coronari. Interdum tamen & Arelati alteram imponi sibi curaverunt. Conradus sane II. Burgundicam illam coronam accepit anno 1033, & filium suum, qui Patri post successit, Henricum III. anno 1038 eodem diademate ornari curavit: quod testatur Wippo in *vita Conradi*. Fecit idem Fridericus I: qui ducta in matrimonium Beatrice Reinoldi Comitis filia, *non solum Burgundiam sed & Provinciam, Imperio jamdiu alienatas, familiariter possidere cepit*: ceuloquitur Otto Frisingensis *l. 2. c. 29. de gestis Frid.* Imo fecit illud Carolus IV. ut quidem memorat Christophorus Marcellus *Cæremonial. Romani l. 1. sect. 5. cap. de triplici Imperatoris corona*. Has inter coronas tamen sola Romana vere Cæsarea est, h. e. vere competit Cæsari in quantum est Imperator Romanorum. Idque solent ipsimet Cæsares nostri publice profiteri, electos Cæsares sese appellantes quamdiu corona ista non sunt insigniti, etsi in Germania coronati jam fuerint. Ut merito mireris, vulgo passim, imo à viris quoque doctis, Cæsareæ coronæ nomine usurpari illam quæ in Germania confertur, contra publicam Cæsarum & spontaneam professionem, ne alia nunc tangam. Illa vero quam Germania exhibet corona, olim quidem, pene usque ad seculum Christianum duodeci-

3.  
Decimū, audivit corona Regni Francorū: inde frequen-  
tius dici cepit corona Regni Teutonici: (quomodo eam  
ipse Frider. I. appellat in epistola ad Ottonem Frisingen-  
sem) aut Alemannici; posteaquam scilicet Gallia regnum  
κατ' ἐξοχήν sibi retinuit Francorum nomen, Germania Im-  
perij Romani titulum, post obtentam Casaream dignita-  
tem, subeunte. Plurimis id possit confirmari testimoniis  
veteris ævi, si opus sit. Imperium Francorum videlicet,  
quod Caroli Magni cum primis felicibus armis in vastam  
amplitudinem excreverat, quamvis post Ludovicum Pium  
inter hujus filios tres in partes fuerit divisum, singulæ ta-  
men partes aliquamdiu Francorum commune nomen re-  
tinerunt. Præcipue vero ita diu audiit, præter Gallicum,  
Regnum Germanicum quod Ludovico Ludovici Pij filio  
ejusque posteris cessit, cum pars, quæ Lothario obtigerat,  
Regnum Lothariense seorsim usurparetur. Et vero po-  
puli Germanici Franci orientales sunt dicti, ut Gallici  
Franci occidentales. Vnde jam olim scripsit Frisingensis  
l. 6. c. 11, Franciam orientalem comprehendere, præter  
Franciam proprie sic dictam, Bavariam, Sveviam, Saxo-  
niam, Thuringiam, Frisiam. Imo & ipsum Lotharingia  
regnum in Francorum regni commune nomen receptum  
est, postquam in unam rempublicam cum Germanicis il-  
lis provinciis coit, & Reges Germanicos accepit domi-  
nos. Hinc sane Ottoni Magno, etiam tum cum Aquis co-  
ronaretur in Regno Lothariensi, porrecto gladio acclama-  
vit Moguntinus: *Accipe hunc gladium, quo ejicias omnes Christi  
adversarios, barbaros, & malos Christianos, auctoritate divina  
tibi tradita omni potestate totius Imperij Francorum.* Et vero  
etsi Otto I interdum in nonnullis tabulis, in regno Lotha-  
ringia editis, sese dixerit *Regem Lothariensium & Francige-*  
*nium*

rum, raro tamen id fecit, & post illum forte nemo Lothariensium Rex audiit.

Quinimo ipsamet illa corona, qua hodieque coronantur Reges Romanorum, est illa qua coronati fuere Reges Germaniæ, nondum Cæsarea dignitate cum Germaniæ regno conjuncta. Nec enim alibi quam in Germania Transrhenana, quisquam Regum à Ludovico Germanico usque ad Ottonem Magnum, qui primus maluit consecrari Aquisgrani, est coronatus; ceu infra probabitur. Illi vero per manus, successoribusque suis, coronam cum aliis Regni insignibus tradiderunt. Certe Conradus I coronam cum aliis insignibus Regiis, quibus ipse erat insignitus, ad Henricum Aucupem transtulit, ut patet ex Witekindo l. i. Eckardo monacho Sangallensi *de casibus monasterij sui cap. 5.* Luitprando Ticinensi *l. 2. cap. 7.* Iisdem post inauguratum fuisse Ottonem Magnum Aquisgrani, ut & hujus successores, per sane est verisimile; cum abunde ex monumentis antiquis sit manifestum, quam superstitiose ad posteros illa fuerint translata; nec usquam fiat in iis mentio noviter paratorum insignium. Hoc fuit in antecessum primo loco monendum.

II. *Secundo* etiam id observandum est: solemnia coronationis variis actibus exerceri, inque his recepto more, unctionem & benedictionem maxime, sacerdotalis muneris esse.

Impositio scilicet coronæ etsi inter gentes Christianas plerumque à Præsulibus facta sit, interdum tamen etiam ab aliis est peracta, & quidem ab ipsis etiã illis qui coronabantur. Sic Rigordus Philippi II. Galliæ Regis medicus testatur, anno 1181 Philippum illum *imposuisse sibi secundo diadema.* Clarissime omnium id liquet ex iis quæ narrat Theganus

ganus c. 6, de coronatione Ludovici Pij quam instituit Carolus Magnus pater. Verba ejus infra adducemus contra illum ultimum partium Colonensium defensorem.

Solet quidem hodie sacrum quoque solemne peragi in coronatione Regia: verum illud videtur etiam apud nos ferius cœpisse, seculo demum tertio decimo. Et vero habemus sic satis accurate descriptas ceremonias coronationis Aquilgranensis, cum Ottonis Magni apud Witekindum l. 2. tum Wilhelmi Hollandi apud I. Bekam *Chronico Episcoporum Ultrajeclinor. in Ottone Episcopo XXXVI.* nulla tamen facta sacrificii mentione. De Rudolphi I. autem inauguratione agens Ioan. Aventinus l. 7. Annal. ita scribit: *Rudolphus accersitus Aquasgraneas in templum deducitur. Pontifex Agrippinensis de eo Deum consulit. Id publicum deinde ac perpetuum Sacerdotium honoris gratia Agrippinensibus Episcopis fuit.* Obscuriora quidem sunt illa Aventini: nisi fallor tamen, loquitur ille de Missæ solemnibus, quæ hoc initio cœperint coronationis actibus adjungi.

Etiam unctio, fateor, diu fuit inter Christianos populos ignorata in Regum inauguratione, alicubi nunquam recepta, alibi usurpari desita: in Francorum tamen regno obtinuit fere ab anno Christiano 740. quando Pipinus in hunc modum est consecratus. Quam in Hispania cœpisse inter Westrogothos (etsi aliquot jam seculis desierit) Reccaredo Rege, circa annum 586, per facit verisimile V. Cl. Ioan. Iacob. Chiffletius l. de Ampulla Rhemensis c. 16.

Tertio id quoque notandum venit: ex quo unctioes & benedictiones sacræ apud Christianos populos cœperunt coronationibus Regum addi, illud officium consecrandi apud omnes gentes, quasi communi consensu, primario Præfuli esse commissum, nisi alicubi singulari aliquo  
privi-

III.

privilegio interdum alij quoque id cesserit. Facile patebit illius pronunciati veritas, si oculos circumferas per omnem orbem Europæum. Et vero in hoc ipso ita nunc appellato Romano Imperio, Italici Regni non nisi Archiepiscopus Mediolanensis, Imperij Romani proprie sic dicti coronationem sacram ipse Papa solet peragere. De primatu Præfulum Gallix est quidem acris contentio: at tamen certum est, inter omnes Archiepiscopos unum Rhemensem, cui Reges unguendi jus est, & Ducem & Patrem esse Francix; adeoque hætenus omnibus aliis Præfulibus eminere. Anselmus Cantuariensis jam circa annum 1103 in hæc verba scripsit ad Ernolfum Priorem: *Conqueretur Rex cum omnibus Episcopis & Principibus suis, quia (cum illum coronare volo) aufero ei coronæ suæ honorem, quem ei Primas Regni sui debet per consuetudinem.*

Vsq̄ue adeo profecto id passim est usitatum, ut quidam rerum nostrarum non satis gnari, propter consecrationes Regias, quas frequentissime Colonienſis peregit, huic primum locum tribuerint. *Super omnes magnates* (scribit Matthæus Paris in *chronico rer. Anglicar. ad annum 1257 pag. 633. edit. Parisiensis*) *supereminens est Archiepiscopus Colonienſis, quæ coronare tenetur Regem Alemanniæ apud Aquisgranum, ab antiqua & approbata consuetudine.*

Merito igitur dixeris, jure communi gentium Christianarum primario Præfuli hanc dignitatem competere. Vnde necessario sequitur: quicquid ab hoc communi jure atque more abit, id fieri non nisi vi cujusdam privilegii. Nec vero sine causa ita in omni orbe Christiano Europæo invaluit. Iure enim utique id quod in republica & reipublicæ negotiis sacri est officii maximum, convenit illi qui inter sacros proceres est potissimus. Inæqualia enim inæqualibus

libus deberi, illius juris est quod nobiscum nascitur omniumque mentibus natura inscribitur. Tum demum vero illud in hoc negotio rite observatur, quando sacer honor maximus attribuitur illi qui inter sacros reipubl. Principes maximus est.

Hicce in hunc modum præmissis, ut ad rem ipsam veniamus, non dubitamus in univèrsum asserere: *Eminentissimo Electori Moguntino merito competere ratione sui Primatus omnino omnino sacrum illud coronandi jus: ex antiquissima & ingentorum annorum amplius ac perpetua consuetudine, illud jus ipsi hodieque esse integrum extra diœcesin Coloniensem: Colonienfi autem Sedi, non nisi ex singulari privilegio, jus hoc convenire, idq. duntaxat intra suam diœcesin.* Probabimus autem hanc assertionem nostram per partes.

## I.

Ac PRIMVM quidem, *ratione scil. Primatus competere Moguntino omnino jus coronandi*, non amplius est difficile ostensu. Etenim jam tum demonstravimus: jure gentium Christianarum communi, & cui pro fundamento est, ut modo vidimus, ipsum naturæ jus, in universo orbe Europæo, ad illum, qui inter Præsules primum in regno quovis locum obtinet, jus coronandi spectare. Demonstravimus jam tum itidem: agi nunc non nisi de coronæ Regni Germanici, aut (ut cum majoribus loquamur) Regni Francorum collatione. Iam vero in Regno hoc Francorum Germanico inter Præsules ac Principes Primatum etiamnum obtinere Moguntinam Sedem, nisi fallor, omni dubio caret. Habuit vero illa Sedes hanc dignitatem ab initio usque Regni huius. Statim enim, facta illa

B

vast

vasti Francorum Imperij anno 842 tres in partes divisione, Moguntinus Archiepiscopus concessit in ditionem Regni Francorum orientalis: Coloniensis autem ac Trevirensis anno demum 870 illi Regno accesserunt, cum ante fuissent partes Regni Lothariensis: ceu alibi probatur. Neuter vero eorum etiam post dubium fecit Moguntino locum primum. Hinc jam Ottonis Magni ævo Moguntinus audiit summus Pontifex, Pontifex maximus; comparatione nimirum facta cum reliquis Regni hujus Præsulibus. Satis frequenter hæc appellationes occurrunt apud Witekindum, qui res Ottonis Magni calamo tradidit scriptor *αυτογενος*. Sequenti seculo decimo Marianus Scotus *l. 7. c. 6.* scribere non dubitavit: *Post Papam secundus habetur Moguntinus Archiepiscopus usque in hodiernum diem.* Iste itaque in Regno Germanico Primatus Moguntini Archiepiscopi cum itidem careat dubio, jam sole meridiano clarius manifesta est utique veritas pronunciati mei.

Et vero hoc jus ex Primatu isto competere Moguntino, jam tum olim profecto non fuit ignoratum. Hinc Witekindus *l. 1. de Henrico I* verba faciens notanter scripsit: *Cumque ei offerretur unctio cum diademate à summo Pontifice qui eo tempore Herigerus erat, &c.* Benedictus VII Papa in literis quibus Willigiso Archiepiscopo pallium contulit, addit hæc verba: *Quocirca uti eo (pallio scil.) memineras; sicut prædecessores nostri tuis prædecessoribus concesserunt; servanda duntaxat privilegiorum tuorum integritate, quo in tota Germania & Gallia, post summi culmen Pontificis, in omnibus Ecclesiasticis negotiis, id est, in Rege consecrando & Synodo habenda, cæteris omnibus tam Archiepiscopis, quam Episcopis, Apostolica auctoritate, sicut justum & rectum esse videtur, præeminereas. Moguntinus ipse hoc Primatus jure fretus, ægre quondam permisit,*

misit, à Coloniense consecrationem regiam institui etiam intra ejus diœcesin Aquisgrani. Diserte Lambertus Aschafnaburgensis presbyter, scriptor, prout illis temporibus, prudens, peritus & disertus, ac præter hoc candidus, (per injuriam enim Coloniensis defensor fidem ejus vocat in dubium) ad annum 1054: *Imperatoris filius Henricus consecratus est in Regem Aquisgrani ab Herimanno Coloniense Archiepiscopo, vix & egre super hoc impetrato consensu Luitpoldi Archiepiscopi, ad quem, propter Primatum Moguntinae Sedis, consecratio Regis & cætera negotiorum Regni dispositio potissimum pertinebat.* Sed de priorè satis

## II.

Pergimus ad SECVNDVM; nempe nunquam interrupta, atq; adeo perpetua, octingentorum annorum consuetudine, jus coronandi per universum Regnum hoc, una excepta Coloniensi diœcesi, Moguntinae Sedi hæctenus mansisse integrum. Facillimum vero hoc quoque est demonstratu: quippe quum & Defensores Colonienses Regum neminem ex omni ævo potuerint producere, (debuissent autem producere, quum idem, quod hic nos, urfisset Eminentiss. Elector Moguntinus) qui fuerit coronatus à Coloniensi extra ejus diœcesin: & quisque possit, evoluta Regum Germanicorum historia, veritatem pronuntiati nostri sine labore assequi. Reges cum desint, ad fœminas confugientes, unam jactitant illi Defensores coronationem Elisabethæ, conjugis Alberti I Austriaci: hanc enim coronatam esse à Coloniensi Norimbergæ astante Moguntino. Neque nos negamus id factum esse. Sed factum est singulari Moguntini consensu: prout non adeo pridem Eleonoram Ferdinandi II uxorem Trevirensis co-

sis coronavit, sed rogatus à Moguntino & huius nomine, quia ipse sacris infulis non esset initiatus.

Fuerunt autem sic satis multi Germaniæ Regum extra Coloniensem dioecesin coronati. Germaniæ Regum inquam: nec enim de Cæsarea corona est quod nunc agamus, aut simus solliciti cum Defensoribus Coloniensibus pag. 46: cis an trans Alpes post Lotharium Ludovicus II, Carolus Calvus, Carolus Crassus & Arnolphus Cæsarea corona sint insigniti. Nemo vero Regum ante Ottonem Magnum Aquisgrani, aut alibi cis Rhenum, legitur coronatus. Ex aduerso, etsi monumenta vetera omnes coronationum illarum actus non ea qua par erat diligentia memorauerint, attamen constat Arnolphum Francofurti coronatum Regem anno 887 mense Novembri. Eius filius Ludovicus videtur coronatus Forchemii. Ita enim ad annum 900 notat Regino: *Procere & Optimates qui sub ditione Arnolphi fuerant ad Forcheim in unum congregati, Ludovicum filium predicti Principis Regem super se creant, & coronatum Regisque ornamentis indutum in fastigio Regni sublimant.* Aquisgrani certe à Coloniense non potuit coronari, quod Regno Lothariensi tum præfesset Zuenteboldus, atque adeo Coloniensis haud numeraretur tum inter procere Regni illius Francorum quod cedebat Ludovico. Hinc ipse Regino statim subiungit: *Dum hac in Germania aguntur, &c:*

Qui huic successit Conradus I, fuit quidem *unctus in Regem*, ut loquitur Witekindus l. 1; Aquisgrani tamen itidem coronari non potuit; quod simulac obiit Ludovicus, Regnum omne Lothariense occupauerit Carolus Simplex Gallus jam anno 912: ut recte colligit Sirmondus.

Huius successori Henrico I Saxoni, reuerti tamen, Moguntinus Herigerus, non Coloniensis (qui nec potuit, tum

rum adhuc hærens in ditione Caroli Simplicis ) anno 919 diadema atque unctiorem obtulit. Dilerte Witikirus l. 1: *Cum ei offerretur unctio cum diademate à Summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non spreuit, nec tamen suscepit.* Dithmarus etiam l. 1: *Episcopalis unctiorem benedictionis à Herigero Archiepiscopo exhibitam, antecessorum more priorum, non desideravit nec suscipere voluit.*

Idem Dithmarus l. 5 de Henrico II ita scribit: *Deindeque ad Moguntiam celeriter properando Ibenum securus enavigat. Hic 118. Idus Junij ibidem, communi devotione in Regem electus, à Villigiso ejusdem Sedis Archiepiscopo, suffraganeorumque suimet auxilio, coronatus.* Defensores Colonienles pag. 57 existimant, Henrici hanc coronationem potius causam Coloniensem juvare, quum eam irritam pronunciarit Colonienlis Heribertus, & Henricum coegerit denuo coronam Aquisgrani accipere, idque astipulante Gregorio V Papa. Verum esto, id fecerit Heribertus, & jure fecerit, (quorum neutrum concesserim:) id tamen manet, Henricum fuisse unctum coronatumque extra Coloniensem diocesin, non à Colonienle sed Moguntino; atque adeo hoc quoque exemplo constare, Colonienli extra suam diocesin nihil esse juris in coronatione.

Henrici successor proximus Conradus II itidem Moguntia coronatus est, & quidem ab Aribone Moguntino, uti refert Wippo.

Post hunc etiam Rudolphus Suevus, adversus Henricum IV electus, Moguntia consecratus est à Sigefrido Archiepiscopo in Regem, ut loquitur Marianus Scotus l. 3.

Philippus Suevus itidem coronam accepit Moguntia, sed per Episcopum Tarentasensem, quod ab esset domo Moguntinus.

Avorum & nostra memoria quinque ultimi Cæsares, & denique nuperus feliciss. memoriæ Vngariæ Rex, coronati idem sunt extra diœcesin Coloniensem, itidem tamen non à Colonienſe sed à Moguntino. Præter hos vero neminem reperias coronatum extra diœcesin illam. Ac proinde non est, quod de secundi nostri pronuntiati veritate quisquam dubitet.

Observandum vero etiam atque etiam est, hæc coronationes Moguntinum celebrasse, & Romanis Pontificibus, & Cæsaribus, & omnibus Imperij Ordinibus, nemine excepto, approbantibus. Hoc sane est argumento, non exercuisse tantum illos actus Moguntinum, sed & summo jure cui nemo potuit contradicere, exercuisse. Neque vero vel ipsi Colonienſes illas Moguntinas coronationes accusaverunt, nisi quod olim interdum desideraverint in illis quod justo loco non fuissent institutæ. Ex quo sane illa superstitione desit, intra hæc centum annos, Moguntinas coronationes tanquam rite factas ipsi Colonienſes probaverunt: nisi quod nuper admodum cœperint aliter opinari: ceu post apparebit clarius.

## III.

Licet itaque jam tum TERTIO etiam affirmare: *Colonienſi non competere aliquod jus coronandi nisi intra diœcesin suam.*

Hoc sane ultro sequitur ex iis quæ iam probata dedimus. Si enim Moguntinus per octingentos annos amplius, usque ad hoc tempus, omnes coronationes extra Colonienſem diœcesin institutas peregit, utiq; (etiamsi nullo niteretur Sedis suæ Primatu) vel ulucapione atque præſcriptione sibi ius firmum certumque iam acquisivisset contra Colo-

Colonienſem: eſſi forte huic ex conſtitutione Caroli Magni olim illud juſ' competiſſet.

Fuit vero etiam ipſorummet Colonienſium Præſulum perpetuo eadem nobiſcum ſententia; niſi quod paucos ciſ annos illi cœperint omne omnino coronandi juſ ſibi ſolis ſimpliciter arrogare.

Ita vero illos ſemper antehac ſenſiſſe, probare licet non uno argumento.

*Ac primum quidem id pakam eſt ex eo, quod nunquam (antehac quidem) fuerint uſi ullo prætextu ad juſ ſuum conſtituendum, quo non ſimul involverint diœceſin Colonienſem. Antiquiſſimæ ſcil. de coronandi iſthoc jure controverſiæ illæ ſunt, quæ circa inaugurationem Ottonis Magni, & denuo circa Henrici IV coronationem fuerunt excitatæ. Utrobique autem Colonienſis non niſi ad iuræ diœceſeos jura provocavit. De prima contentione agens Witkindus l. 2. diſerte id narrat. Verba ejus ſunt: *Et cum queſtio eſſet Pontificum in conſecrando Rege, Trevirenſis videlicet & Colonia Agrippinæ: illius quia antiquior Sedes eſſet, & tanquam à B. Petro Apoſtolo fundata: iſtius vero quia ejus ad diœceſin pertineret locus, & ob id ſibi convenire arbitrati ſunt hujus conſecrationis honorem. Alteram contentionem narrans Lambertus prodit idem eſſe prætextum anno 1054. Integer locus hic eſt: *Imperatoris filius conſecratus eſt in Regem Aquiſerani ab Hermanno Colonienſe Archiepiſcopo, vix & agre ſuper hoc impetrato conſenſu Luitpoldi Archiepiſcopi: ad quem propter Primatum Moguntina Sedis conſecratio Regis & cætera negotiorum Regni diſpoſitio potiſſimum pertinebat. Sed Imperator potius Hermanno Archiepiſcopo hoc privilegium vindicabat, propter claritatem generis ejus, & quia intra diœceſin ipſius conſecratio hæc celebranda contigiffet.***

Poſt

Post secundam hanc contentionem magis quidem solito ad se traxere coronationis solemnia Colonienses, itidem tamen non alio prætextu quam illo, quod Carolus Magnus instituerit, ut omnis coronatio fiat Aquisgrani, atque ita consecrationes Regum à sese solis jure diocæsesos institui debere. Talia enim jactitari & passim persuaderi (non nisi per figmenta tamen) cœpere seculo duodecimo. Nec vero legere est quidquam aliud, præter hæc duo, ab Archiepiscopis Coloniensibus, aut etiam aliis, unquam per annos pene ceteros esse prætextum suo coronandi juri.

2. *Paret illa* perpetua ipsorummet Coloniensium sententia ex eo etiam, quod nunquam vel tentaverint Colonienses quemquam coronare extra suam diocæsin. Certe nemo vel conatus hujus exemplum aliquod adduxerit. Qui vero saltim non tentaverint tale quid Colonienses, invitati Imperij infinitis turbis, si existimassent sui juris esse, passim locorum coronationes instituire? Certe quas coronationes extra Aquisgranum instituerunt, vel Coloniæ peregere, ut factum in coronatione uxoris Conradi II, vel Bonnæ quod observatum in Carolo IV & Ruperto.

3. *Ad hoc* etsi nonnunquam coronationes à Moguntinis peractas improbaverint Colonienses, semper tamen eo tantum prætextu id fecerunt, quod illæ institutæ essent extra locum coronationi ab Carolo Magno dedicatum. Patet hoc ex ipsa nuperrima Coloniensium Defensione, & infra à nobis clarissime ostendetur. Tales vero querelæ demum cœperunt primum seculo duodecimo. Antehac certe nullum vestigium apparet querelæ alicujus Coloniensium Præsulum, quasi non ad Moguntinum, sed ad sese solos ius coronandi pertineat. Imo vero omnes pro-  
ceres

ceres Germaniæ antehac aliquamdiu uni Moguntino jus hoc coronandi adscripserant, ipse unus, id exercuerat sic satis diu, nemine reclamante.

*Palam* denique est hæc sententia ipsorummet Colo- 4  
niensium ex eo etiam, quod post jam conditam Auream bullam Carolinam curaverint, per Rupertum Cæsarem, singularibus tabulis sibi conferri privilegium ac facultatem coronandi interdum extra Aquisgranum quidem, tamen in diœcesi sua. Meminit hujus privilegij Hartmannus Maurus pene sub initium illius libri, quo solemnia coronationis Caroli V quam accuratissime persecutus est ad posteritatem. Non potuerunt profecto tale quid à Cæsare expetere, persuassi sibi jam esse fas, passim locorum coronationes instituere. Imo ne quidem temere permisissent, intra limites suæ diœceseos à Ruperto Cæsare se constringi, sed existimassent hoc ipso sibi injuriam fieri, perinde atque hodie creditur. Certe quo tempore illam Ruperti bullam acceptaverunt, multum alieni fuerè ab ea quæ hodie placet successoribus sententia.

*Quid* quod ex illa Hartmanni Mauri historia constat, 5  
saltem etiam tum, quando Carolus V fuit coronatus, creditum fuisse ipsismet quoq; Colonensibus, sibi tantum intra suam diœcesin jus esse quem coronare? Obtulerunt enim Carolo illud Rupertinum privilegium, ut si forte Aquisgranum nollet proficisci luis grassantis causa, saltim alibi intra diœcesin Coloniensem pateretur se coronari, cum id liceat ex Ruperti concessione. Neque vero Mauri testimonium in dubium vocare licet, quum ille fuerit tum à consiliis Coloniensi Archiepiscopo, ac proinde omnium rerum maxime gnarus. Imo vero illa tempestate in vulgus fuit hoc decantatissimū: ceu apparet vel ex eo, quod Nicolaus

C

Mame-

Mamcranus illo ipso tempore historiam electionis & coronationis Carolinae singulari libro narrans, in hæc verba erumpat. *Vere scribit Maurus, tres Archiepiscopos Electores simul præstitisse hoc officij, (coronæ scilicet impositionis.) Quamquam ad solum Coloniensem, ratione prerogativæ suæ ditionis, in qua Aquisgranum est, spectare perhibeant.* Hæc ille.

6. *Saltem* igitur ad illa usque tempora habemus consentientes nobis Colonienses. Quin dixeris, etiam diu post in eadem illos mansisse sententia: utpote cum in subsequenti- bus coronationibus non illi Moguntino suas vices commiserint, aut diserte prodiderint sibi solis ubi vis locorum ius coronandæ competere, etsi haud ignorarent, Moguntinum nolle videri vicaria potestate fungi. Hi sane actus luculento solent esse indicio consensionis. Nec vero quod fecerint sibi nonnulli Præfulum Coloniensium caveri aliquomodo, id dissensionem significat, ceu infra apparebit.

Vnus hic perpetuus ipsorummet Coloniensium consensus satis est probando iuri Moguntino, & decidendæ integræ controversiæ. Cessat enim lis omnis, si ipsis Coloniensibus fatentibus, extra dioccesin nihil habeant iuris in consecrandis Regibus. Certe heri & nudius tertius demum nata dissensio cedere debet perpetuæ aliquot seculorum consensionis.

#### IV.

Et vero ea est ratio etiam illius iuris coronandæ quæ gaudet Coloniensis Sedes in sua diocesi, ut ipsa quoque longa consuetudine potius & liberali concessione Moguntinæ Sedis nitatur, quam ullo iusto titulo alio. Id quod **QUARTO** loco obiter à nobis iam demonstrabitur.

Nihil videlicet est falsius duobus illis, quorum prætextu  
loni-

Coloniensis jus aliquod coronandi ante aliquot secula sibi acquisivit in sua diœcesi. Est autem Alterum horum: quod ex Caroli Magni instituto coronationes Regiæ Aquisgrani duntaxat possint rite institui. Alterum: quod ejusdem Caroli lege & canonum institutis, Regem Aquisgrani soli Coloniensi consecrare fas sit.

Primum sane illud quod jactitavit olim Coloniensis, Caroli Magni lege institutum esse ut coronationes omnes Aquisgrani instituantur, ac proinde alibi non posse institui legitimas coronationes, inanis fabula est.

Esto tamen, ita instituisse Carolum. Lex utique illa fuerit positiva. At vero non potuit Carolus positivam condere legem quam in perpetuum teneatur Respubl. observare. Nulla lex positiva adeo certo obligat: sed potest mutari si res exigat, ab iis quos penes est Reipublicæ potestas summa. Ac proinde & potuisset olim, & potest hodie, Lex quævis Carolina mutari, si id postulat salus publica. Ut ut igitur Carolus Magnus ita forte sanxisset, non tamen propterea necessum esset non alibi coronationem instituire, si Cæsari & Ordinibus Imperij placeat ab illa lege discedere. Confitetur hoc ipsum hodie quidem Coloniensis ultro; & intra hosce centum annos ordine sex coronationes, extra quoque diœcesin Coloniensem, sunt institutæ. Ipsemet Carolus IV in sua Aurea Bulla fatetur, extra Aquisgranum posse interdum Regem coronari: & vero ipsemet erat Bonnæ, non Aquisgrani coronatus. Iam quoque supra probavimus, neminem eorum qui Ottonem Magnum antecesserunt Germaniæ Regum, à Ludovico Germanico usque, Aquisgrani fuisse coronatum: post item quam multos alibi coronatos, Coloniense non reclamante, nisi quod seculo duodecimo cœperit vulgo persuaderi, Aquisgrani duntaxat legitime quem coronari.

Ita scilicet sese res habet. Seculo duodecimo post natum Christum nata est fabula de Caroli Magni quadam lege circa locum justum coronationis Regiæ. Nec vero ante illa tempora reperias temere aliquod vestigium ejus, quæ ex eo multis arrisit, absurda sententiæ: *quasi ad essentialiam* (ut ita loquar) *coronationis pertineat, ut illa fiat Aquisgrani.*

Possit quidem forte videri, jam tum Henrico II regnante opinionem illam invaluisse; idque quia Heribertus Coloniensis post coronationem Moguntinam adegerit Henricum, ut pateretur sese denuo eligi & Aquisgrani coronari. Verumtamen forte haud injuria dubites de fide illius historiae. Defensores enim quidem p. 47 laudant testem Adelboldum Trajectinum Episcopum, quid memoraverit in descriptione vitæ Cæsaris illius Henrici: At vero testatur quidem & Sigebertus *l. de vir. illustr. cap. 139* ut & Beka, talem librum ab Adelboldo conscriptum esse: an vero ille hodieque sit superstes, multum dubito. Extat enim quidem libellus hoc nomine in Divis Bambergensibus Gretzeri, sed mutilus, cumque hac inscriptione in ipso codice Ms. repertus: *Vita Henrici Imperatoris ab Adelboldo Episcopo Trajectensi, ut creditur, conscripta.* Quo patet libellum dubij esse auctoris. Alium omnino librum ejusdem argumenti Adelboldo adscriptum divulgavit Henricus Canisius tomo VI Antiquar. lection. Sed cum auctor ille narret, quemadmodum divorum ordini ab Eugenio III anno 1113 fit adscriptus Henricus Cæsar, Adelboldus autem objerit anno 1027, ut refert I Beka, inique hic libellus potest esse Adelboldi. Et vero Gretzerus quoque suspicatur, esse hunc Nunnosij monachi. Editor Canisius non audet affirmare Adelboldi esse, quia in ms. codice nomen  
nullum

nullum invenit. In Canisiano porro libello nihil legitur de repetita illa Henrici unctioe Regia, quæ sit Aquisgrani instituta per Coloniensem. An in Gretzeriana editioe id habeatur, nescio: quum non sit ad manum. Ut autem forte tale quid, quale Defensores narrant, ibi legas, de fide tamen narrationis merito dubites, quod ab incerto auctore fabula sit profecta. Nec vero quidquam ejusmodi habet Dithmarus, qui serie annorum observata diligenter satis Henrici omnia ipse coævus persecutus est usq; ad annum 1019, atque adeo omnia XVI priorum annorum Henrici acta. Nihil tale habet historicorum ejus ævi alius. Imo plane adversa prope habet Magnum Chronic: Belgicum Pistorij de Heriberto & Henrico pag. 92. Sed & fabulosum utique est, quod habet Defensor Colonienfis pag. 57, iteratam illam coronationem peractam esse ad stipulante Gregorio V Pontifice: constat enim Gregorium V obiisse anno 999, triennio integro antequam Ottoni tertio successit Henricus Rex. Certe sola hæc fabula apta est omnem narrationem suspectam reddere.

*Ea vero Henrici II Cesaris ætate nondum fuisse persuasum prudentioribus, omnem coronationem nusquam alibi rite quam Aquisgrani institui, liquet etiam clarissime ex eo, quod Henrici proximus successor Conradus II unctus sit Moguntia, præsentibus Regni Episcopis & Principibus, à Moguntino Aribone, atque adeo ipso consentiente Colonienfe, qui Reginam consecravit, itidem vero non Aquisgrani, sed in Ecclesia Colonienfi: ut refert Wippo in vita Conradi. Quamquã porro fieri potuerit, ut Aquisgrani quoq; sit coronatus Henricus ab Heriberto, nec tamen vel inde fas fuerit colligere, prorem coronationem fuisse improbatã. Sic satis frequens nimirum illa ætate fuit, præter primam maxime solemnem*

lemnem atque adeo sacram coronationem, repetere coronationes, idque per Episcopos. In Gallia & Anglia Regum historiis occurrunt exempla quammulta. Imo iisdem Francorum Reges saepius fuerunt uncti, florente familia Carolina. Pipinus videlicet bis: Carolus Magnus quater: Ludovicus Pius bis: Carolus Calvus quinque: Ludovicus Lotharij filius bis. Toties & Ludovicus Balbus alique sunt uncti. quod testimoniis indubitatis ex veteri aeo ostendere est in promptu, si res exigat. Verum non est hujus id loci, praesertim fabula illa, de irrita reddita prima Moguntina Henrici coronatione, iam in fibilos producta.

2. Confirmat idem coronatio Rudolphi Suevi anno 1077 Moguntiae instituta, praesentibus Legatis Romanae Sedis & multis Principibus. Et vero ipse Pontifex probavit hunc actum & agnovit Rudolphum Regem: non facturum nisi credidisset, extra Aquisgranum posse Reges recte institui.

3. Videtur idem confirmare & Henrici V inauguratio. Etsi enim Urspergensis scribat, hunc anno 1099 a patre factum Regem Aquisgrani: Otto tamen Frisingensis, cui potior debetur fides, ita loquitur l. 7. Chron. c. 8. *Anno ab incarnatione Domini MC III Imperator Henricus natalem Domini Moguntia celebrans, ibique Henrico filio suo rege post se designato, &c.* Idem Otto eiusdem libri cap. 2. de eodem Henrico V, post patrem abdicatum, sic loquitur: *Reversi ad filium Optimates imperialia deferunt, cumq; primo a patre electum, per impositionem manus Apostolicae sedis Legatorum, cunctorumq; electione, Regem vocant.* Paulo ante vero sub capitis illius initium narraverat, maximum conventum Principum Moguntiae factum esse anno MC VI. Ut omnino sit verisimile,

risimile, etiam Henricum V Moguntia consecratum esse, non Aquisgrani. Id quod si ita est, etiam hinc licebit pronuntiato nostro argumentum petere.

Eodem seculo tamen duodecimo, circa tempora Friderici I, fateor, coepisse passim credi, à *Carolo Magno legem aliquam ejusmodi Aquisgranensibus faventem esse latam*, eamq; constitutionem coepisse & jam tum & ex eo magno pretio æstimari. Palam hoc est ex iis, quæ l. i. canit Güntherus de Aquisgrano.

*Hoc sibi prima loco veluti cunabula Regni  
Carolus esse volens, Magno cum Francia Regi  
Vtraq; serviret, primam gestare coronam  
Iussit, & in sacra Reges ibi Sede locari.  
At simul à nostro secessit Gallia Regno,  
Nos priscum Regni morem servamus; at illa  
Iure suo gaudet, nostra jam nescia legis.*

Initio seculi decimi tertii, anno nimirum 1202, Principes qui elegerant Ottonem IV, in suis ad Innocentium Papam literis, quas recitat Baronius, scribunt inter alia de Ottone illo: *Ad Romani Regni fastigium juste & rationabiliter illum elegimus, & sicuti debuimus, ipsius electioni consensimus, ipsumq; in Augustorum Sede, à Carolo Magno apud Aquisgranum huic dignitati deputata, locavimus, & corona & diademate per manum Adolphi Coloniensis Archiepiscopi, ea qua debuit solemnitate, feliciter coronavimus.* Tales voculæ isthac tempestate passim sparsæ sunt, antehac plane nusquam auditæ.

Et vero supersunt hodieque, à Goldasto *tomo II constitution Imperialium pag. 6.* traditæ tabulæ Friderici II Cæsaris, confirmantes insertum aliquod diploma Friderici I: quo anno 1166, concessum à Carolo Magno de Aquisgrano privilegium, ab urbis illius incolis sibi oblatum, roboravit.

Vtraq;

Vtræque illæ tabulæ videntur sic satis genuinæ esse. Ut proinde jam palam sit, post annum illius seculi sexagesimum aliquid sparsum fuisse in vulgus, de privilegio Carolino circa coronationes Regias, Aquisgrani duntaxat instituendas. Et sane in illo Carolino hæc verba leguntur: *Illic vero Domino Apostolico Leone III. & omnibus prædictis nobilibus & egregiis personis congregatis, merui ab omnibus obtinere, præ nimia devotione, quam erga ipsum locum & Matrem Domini nostri Iesu Christi habebam, ut in templo eodem Sedes Regia locaretur, & locus Regalis, & caput Gallia trans Alpes haberetur: ac in ipsa Sede Reges successores & hæredes Regni initiarentur, & sic initiati jure dehinc Imperatoriam Majestatem Romæ sine ulla interdictione plenius exequerentur. Confirmatum & sancitum est hoc à Domino Apostolico, Leone Romanorum Pontifice, & à me Carolo Romanorum Imperatore Augusto, primo auctore hujus templi & loci, quatenus ratum & inconvulsam hoc statutum & decretum nostrum maneat, & hæc Sedes Regni trans Alpes habeatur, sitq; caput omnium civitatum & Provinciarum Gallia.*

Hæc est illa celeberrima scil. Caroli Magni Lex, quæ à seculo duodecimo usque plurimis persuasit, coronationes legitimas non nisi Aquisgrani posse fieri. At vero omne illud privilegium esse ab Aquisgranensibus illa ipsa ætate confictum, & inepte quidem confictum, hodie sane non potest quem latere, qui in veterum monumentis vel modiocriter est versatus. Non est hujus temporis, ineptias & affanias illas in lucem producere; at vero à Carolo Magno institutum non esse, ut consecratio aut initiatio Regum prima fiat Aquis, palam est vel ex eo, quod cum hoc privilegium existimetur traditum circiter anno 804, Carolus biennio post omne regnum suum in tres partes inter filios

filios totidem diviserit, non nisi uni illorum attributa ex parte quæ Aquisgranum comprehendit; quæ formula divisionis hodieque ex parte superest edita per P. Pithocum & Annalibus inserta à Baronio: quodque Ludovicus Pius Caroli filius statim anno 816 non Aquisgrani, sed Rhemis à Stephano Papa coronari sese fecerit, cum tamen memoria Carolinorum institutorum recentissima tum esset, & apud Pium filium observatio eorum longe religiosissima. Nec enim nunc urgebo, quod nemo plane omnium Caroli posterorum memoretur Aquisgrani consecratus, etiam illorum quorum in ditione fuit Aquisgranum. Cui autem fiat verisimile, usque adeo neglectam fuisse sacram legem Caroli, nec tantum neglectam, sed etiam ex omni hominū notitia elapsam, idque per illa etiam recentissima tempora? Verum non est quod hisce nunc immoremur, quum ipsi Colonienfes fateantur, fas esse, non in sola Aquisgranensium urbe coronationes instituere.

Æque vanum autem est illud etiam *alterum*, nempe, *quod Aquisgrani possit solus Coloniensis Regem rite consecrare.* Defensores enim Colonienses p. 41 & 42 provocant etiam ad constitutionem quandam Caroli Magni; sed minus sunt instructi aliquo testimonio quam Aquisgranenses. Nec enim hæctenus, quod sciam, vel figmento natum est ejus argumenti aliquod diploma.

Ne id quidem verum est, quod testibus, Petro à Beeck, Cæsareo, & Collectore Chronici Magni docent pag. 41 *munus coronandi Ludovicum Pium à Carolo esse tributum Hildebolde Archiepiscopo Coloniensi.* Nec enim illi autores merentur inter fidos testes rerum ævi Carolini numerari, homines heri & nudius tertius demum, ut ita dicam, nati. Sed & genuina illius Carolinæ ætatis monumenta memo-

D

rang

II.

rant quidem, Ludovicum illum Pium à Carolo patre coronatum anno 813; ast per Hildeboldum id factum, non memorant. Imo vero nec Hildeboldi nec alterius alicujus Episcopi manu factam illam coronationem, non passus nos est ignorare Theganus *l. de gestis Ludovici cap. 6.* Prolixè enim ille describens quæ tum egerit Carolus, inter alia hæc habet: *Tunc jussit eum Pater, ut propriis manibus coronam, quæ erat super altare, elevaret, & capiti suo imponeret, ob recordationem omnium præceptorum quæ mandaverat ei pater.*

Certe à Carolina aliqua lege non est profectum illud jus coronandi quo fruitur Colonienfis in diœcesi sua; neque quisquam obtentu talis alicujus legis hætenus jus illud suum asseruit. Speciosus maxime & antiquissimus & unicus prætextus aliquot seculis fuit: quod consecrationes debeant fieri à diœcesanis in qualibet diœcesi, aliæ ab Episcopis, aliæ ab Archiepiscopo, prout consecrationes sunt aliæ atque aliæ: ac proinde consecrationem quoque Regalem, quæ intra diœcesin fit Coloniensem, à Colonienfe Archiepiscopo esse instituendam.

Est vero, ceu jam ante diximus, etiam hic prætextus perlevis. Nec enim consecratio illa Regia sacrum characterem imprimit, aut vere meretur accenseri numero consecrationum aliarum: sed potius externa quædam est ceremonia ad exemplum moris Hebræorum composita, idque ævo sequiore demum, interque solas gentes Germanicas & Sarmaticas. Utque sit hæc consecratio ejusdem cum aliis ordinis, nihil prohibet tamen, quo minus illa peragi rite possit ab eo, in cujus diœcesi non est locus ille ubi consecratio instituenda est. Etsi enim diœcesibus singulis sua sint jura prudenter constituta per canones Ecclesiasticos: notum tamen est, non eum esse rigorem canonum, ut sine

ut sine omni exceptione strictè semper sint observandi. Circa consecrationes sæpenumero aliquid indulgeri, palam est.

Non vocabitur hoc, scio, in dubium hodie quidem à Coloniensibus, utpote quum ipsimet velint, omnes consecrationes Regias, etiam extra suam diœcesin, à sese instituendas esse.

Agnoverunt autem hoc jam etiam olim iidem Colonienses: eoque passi sunt Ottones tres Aquisgrani à Moguntinis consecrari.

De Ottone I enim utique clarum illud est ex iis quæ Witekindus narrat l. 2. Frustra enim Defensores pag. 48. & 56. conantur aliquas partes in illa consecratione etiam Wigberto Coloniensi attribuere, idque testimonio Witekindi: cum hic tantum significet ad coronæ impositionem operam Wigberti advenisse: *coronatus* (inquiens) *diadema- te aureo ab ipsis pontificibus Hildeberto & Wigberto*, & diserte testetur, ab Hildeberto esse dictum: *nunquam de capite tuo oleum miserationis deficiat*. Quæ verba indubie spectant ad effusionem olei in caput Ottonis, quo ritu tum constitit unctio. Æque nihil ad rem facit, quod iidem Defensores urgent, consensu Wigberti eam consecrationem esse institutam, testibus Witichindo & Dithmaro. Etiam ita enim patet, vel canones de consecratione non esse strictæ observantiæ, vel illos ad hunc actum non pertinere. Alterutrum enim nisi ponas, non fuit in potestate Wigberti, adversus canonum præcepta consentire.

Ottonem II saltem ex parte esse consecratum à Moguntino, fatentur ipsi Defensores p. 57: debuisset autem ad illum actum plane non admitti Moguntinus, si consecratio unice esset juris diœcesani. Frustra vero ex eo, quod Rogerius in

*vita Brunonis dicit: Ottonem unxisse Brunonem Coloniensem, VVilhelmum Moguntinum, & Henricum Trevirenses: conantur illi exsculpere, in illa consecratione primas fuisse partes Brunonis. Primo enim loco recensetur Bruno, quod ejus vitam auctor scribendam suscepisset.*

Ad Ottonis III coronationem quidquam juvisse Coloniensem, non ausi fuerunt Defensores pronunciare; prætendunt tamen pag. 47, Warinum Coloniensem morbo tum fuisse detentum. At nullo testimonio nititur ille prætextus, ac proinde est fabulosus. Perinde ac perperam illi credunt, quasi Dithmarus scripserit: *VVillegisuma coronationi astitisse.* Verba enim Dithmari hæc sunt sub finem l. 3. *Hujus (Ottonis II.) inelyta proles die proximo natalis Domini ab Iohanne Archiepiscopo Ravennate, & à VVillegiso Mogunciacense in Regem consecratur Aquisgrani.* Idem quoque Dithmarus cum ibidem tum initio l. 4. testatur, eodem circiter tempore Warinum Coloniensem, cujus *firma fidei* Otto II filium commiserat, tradidisse Regem tennellum tutelæ Henrici Ducis Bavariæ: quod indicio est, non ita fuisse morbo tum gravatum Warinum, ut Regni negotiis curandis fuerit inidoneus. Quicquid sit, certum est, Warinum consecrationem illam Regiam neuti- quam improbasse.

Quid? quod diu etiam post, in solemnibus coronationis Regiæ Aquisgranensibus, Vnctio fuerit, non recusante Coloniense, peracta à Moguntino. Palam id est ex historia coronationis Wilhelmi Hollandi, quæ una omnium plenissime ceremonias tum usitatas exhibet, auctore Johanne Bekain Chronico Episcoporum Ultrajectinor, cujus testimonio Defensores p. 51. docere nituntur Wilhel- mum coronatum à Coloniense. Opera est pretium hoc loco

loco recitare integrum illum Bekæ locum, quo pateat, consecrationem ne utiquam tum fuisse peractam à solo Coloniense, sed in ea eximias partes fuisse cum Moguntini tum etiam Trevirensis, etli coronatio sit instituta Aquisgrani. Postera die, (inquit Beka) quæ est omnium Sanctorum festiva solemnitas, universa multitudo Prælatorum & Principum deduxit electum Regem ad Basilicam perpetua Virginis Maria, ut solemnem benedictionem acciperet secundum ritum antiqua consuetudinis: quem Monasteriensis & Mindensis Episcopi simul ordinarunt infra sacrarium, sed eundem Leodiensis & Trajectensis Episcopi vestitum ornamentis Leviticis in modum Diaconi producerunt ante Regale solium. Quem ex tunc Coloniensis Archiepiscopus Cancellarius Italiae collocavit in sede Majestatis, ita dicens: Super thronum regni gloriose sedens, iudicium & justitiam in terra facias. Archiepiscopus vero Moguntinensis Cancellarius Germaniæ cum oleo sanctificato dextram ejus foras unxit, ita dicens: Consecrare te dignetur omnipotens Deus in Regem Romanorum, qui David per manum Samuelis Prophetæ Regem inungi iussit super populum Hebreorum. Archiepiscopus autem Trevirensis Cancellarius Gallie manus illi super imposuit, ita dicens: Descendat in te Spiritus sapientia, intelligentia, scientia, pietatis, fortitudinis & consilij, replearisque Spiritu timoris Domini. Marchio quidem Brandeburgia Regis Camerarius annulum ei tradidit, ita dicens: Accipe signaculum Monarchiæ, ut Romanum Regnum in suo vigore conserves, quod ab incursione Barbarorum invicta virtute defendas. Dux autem Saxonie Regis justitarius donavit ipsi gladium, ita dicens: Accipe sceptrum Regium, ut rebelles severa correctione potenter affligas, omnesq; benevolos in tranquilla pace gubernes. Dux equidem Bavarie Comes Palatii seu Dapifer, dedit ipsi globum aureum, ita dicens: Accipe globum sphericum, & omnes terræ nationes Romano Regno subijce, ut gloriosas

*riofus Augustus appellari valeas. Rex dehinc Bohemia, Regis principerna, de consensu Coloniensis Archiepiscopi, coronam argenteam capiti ejus super impressit, ita dicens: Accipe diadema splendidum, & sis in virtuosis actibus adeo coruscus in terris, ut coronam aeterna felicitatis habere merearis in caelis. Post haec autem circumstantes Principes, adorantes Majestatem Regiam, acclamaverunt ipsi salutem laudem & gloriam; accedentes quoque singulatim Primates ad regale solum, praestiterunt eidem debita fidelitatis homagium. Haecenus Beka. Collector chronici magni Belgici pag. 245 omnia haec totidem verbis recitat, nulla tamen facta mentione Moguntini; sed facile apparet, vitio descriptoris nonnulla excidisse. Et vero prout in editis etiam nuperrimis est Bekæ codicibus, ita & in manuscriptis reperitur, quos exhibere in promptu est.*

*Ex quibus omnibus jam palam etiam est alterum, nempe non soli Coloniensi esse fas Aquisgrani aut intra suam diœcesin Reges consecrare, si rem ipsam spectes, seposita qua inolevit consuetudine.*

*At vero si nullum jus exigit, ut vel duntaxat Aquisgrani, aut intra Coloniensem diœcesin, vel per solum Coloniensem etiam intra diœcesios Coloniensis limites, instituat Regia consecratio, nihil utique superest quo vel illa dignitas Coloniensi sarta tecta queat servari, praeter inveteratam consuetudinem, consensu Moguntini & cæptam initio & exinde propagatam. Id quod Quarto loco suscepimus demonstrare.*

## V.

*Fortassis tamen etiamnum hæret aliqua dubitatio, quæ proinde Quinto loco meretur è medio tolli. Quinam videlicet factum sit, ut etiam ante productam illam falsam legem*  
*Caro*

Caroli Magni, jam Ottones & alii Reges voluerint Aquisgrani potius coronari quam alibi: utq; item Moguntini passi sint sibi eripi à Coloniensibus jus coronandi intra diœcesin Coloniensem. Non enim possit videri fieri potuisse, nisi Legis alicujus majoris auctoritate.

Verum enim vero Legem nullam intervenisse jam ostendimus.

Prius vero tamen contigisse arbitror: propterea quod I. Aquisgranum præ aliis locis & amaverit & ornaverit Carolus Magnus, ibi quoque sit mortuus & sepultus. Hac sane ratione inter omnia Regia palatia Transalpina Aquisgranense omnium fuit primum jam Caroli ætate & nobilissimum. Hinc auctori poematis, quo adventus primus Leonis III Papæ in Germaniam est illa ætate celebratus, quodque legitur Tomo 6. antiq. Lætion. Canisii, Aquisgranum audit *Roma nova & Roma altera*. Hinc quoque jam tum Nithardo Caroli Magni ex filia Bertha nepoti, audit initio l. 4. de diffidiis filior. Ludovici Pii: *Aquis palatium sedes prima Franciæ*. VVippo pag. 429 ita loquitur. *Collecto regali comitatu Rex Chonradus per regionem Ribuariorum, usq; locum, qui dicitur Aquisgrani palatium, pervenit, ubi publicus thronus Regalis ab antiquis Regibus & à Carolo præcipue locatus, totius Regni archisolum habetur*. Otto Frisingensis appellat locum illum: *Archisolum Regni Francorum*. Cum itaque Henrici Aucupis felicioribus armis reddita Germanico sceptro esset Lotharingia cum Aquisgrano, visum fuit convenientissimum Ottoni, celeberrimo illo loco potius quam alibi coronam Regiam consequi. Placuitque idem consilium successoribus; non ita tamen, ut existimaverint, alibi coronari esse nefas, si usus postulet: coque etiam alibi & Henricus II & Conradus Secundus & Rudolphus Suev-

vus

vus sunt coronati. Donec tandem fictitius Aquisgranensium tabulis persuasum est, ex veteri instituto ipsius Caroli, non alibi quam Aquisgrani rite quem Regem coronari.

- II. *Posterius* coepit prætextu canonum, qui definierunt, uti consecrationes fiant à diocesibus presbyteris & Episcopis. Hinc enim sui esse juris consecrare Regem Aquisgrani, Colonienses urserunt. Verum in re non satis definita cum prævaleret adhuc multum Moguntinus, mitius negotium hoc Colonienses agitavere; at vero Henrico III, imperante plane vicerunt, idque quantum arbitror, duabus de causis.

- I. *Altera* est, quod jam tum Coloniensis Sedes eo crevisset, ut æmulatione sua pene dubium niteretur reddere Moguntini primatum. Agnovit sane saltim ex parte hanc æmulationem etiam Guntherus in Ligurino, canens l. i. in hunc modum, initio quidem de Moguntina urbe inde de Colonia:

*Turribus hæc eadem quondam murisq; superba  
Pene fuit toto Sedes notissima Regno;  
Donec ob infandum detestandumq; furorem  
Strata, luit meritas occiso Præsule pœnas:  
Inde ruinosis deformis & horrida muris  
Testatur justas offensi Principis iras.  
Huic, ne præcipuam celebret Germania Sedem,  
Invidet, atq; locum tenet Agrippina priorem,  
Ambæ metropoles &c.*

In tantum igitur evecta jam Coloniensis Sedes, noluit amplius perinde ut antehac, Moguntinæ cedere, saltim intra diocesin suam.

2. *Altera* me iudice causa est, quod Henrico illo regnante cum alij Episcopi Germaniæ, tum etiam ipse Moguntinus plus

plus iusto, certe plus solito, sibi arrogaverint in diocesisibus  
 iuis. Luitpoldus ipse Moguntinus dici non potest quam  
 fuerit rigidus in tuendis iuxta diocesanos illis creditis juri-  
 bus. Ut ingenium viri omnibus innotescat, recensebo  
 miram historiam, quam habet Conradus Urspergensis in  
 chronico, et si non nihil forte prolixior: Anno (inquit  
 Conradus) domini millesimo quinquagesimo tertio, Apostolico &  
 Imperatore natale dominicum divino & regio cultu Wormaciae  
 agentibus, missarum celebratione in sancta die peracta, ut oportuit,  
 ab Apostolico, in sequenti die Luitpoldum Moguntinae Sedis Archi-  
 episcopum, utpote in sua diocesi praecipuum, huic subrogavit offi-  
 cio. Qui peracta processione, & ubi ad hoc ventum est dicta ora-  
 tione, postquam se in sua Sede locavit, quidam ex diaconis suis,  
 Hunnibertus nomine, sicut multi ob illius festi venerationem solent,  
 lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis Papa asisten-  
 tibus vituperantes, & contra Papam quia Romano more non age-  
 retur, objurgantes, persuaserunt ei, ut ad eundem diaconum mit-  
 teret, & decantationem interdiceret. Quod cum ille juvenum  
 more contemneret, iterum mittendo Papa interdixit: qui mox ea-  
 dem vocis sonoritate qua prius cantavit, legendo decenter lectio-  
 nem usque ad finem perduxit. Qua finita, Papa illum ad se voca-  
 vit, & quasi pro inobedientia contumacia degradavit, Archie-  
 piscopus vero misit ad illum, ut suum sibi redderet ministrum.  
 Quod ubi Papa abnuvit, Pontifex ut erat antiquae disciplinae, licet  
 aegre, patienter tamen interim tacendo sustinuit. Perlecto autem  
 Evangelio, & decantato offertorio, ubi sancti sacrificii tempus  
 advenit, Pontifex in Sede sua resedit, vere contestans, nec se, nec  
 alium quemquam completurum illud officium, nisi reciperet pro-  
 cessionis suae ministrum. Quod ubi Apostolicus intellexit, Pontifici  
 cessit, reindutumque ministrum continuo remisit. Quo recepto,  
 debito se praesul inunxit officio. Qua in re & Pontificis auctoritas,

E

&amp; Apo-

*& Apostolicè consideranda est humilitas, dum & ille officii sui dignitatem defendere contendebat, & iste, licet majoris dignitatis, Metropolitano tandem in sua diœcesi cedendum perpendebat. Hactenus Vrspergensis.* Non contenderim pro veritate historię, quia Lamberto si credendum, non anno 53 sed 51, VVormatię natalem Domini Leo Papa cum Cæsare coluit, vivo adhuc Berthono Moguntino, cui Luitpoldus demum post Pentecosten ejus anni successit. Attamen si mores seculi illius videas, non est indigna fide illa Vrspergensis narratio. Quanta cæde enim Episcopus Hildesheimensis non dubitaverit sibi primum locum intra suam diœcesin defendere anno 1063, cum horrore legas apud Lambertum Aschafneburgensem. Si vero Luitpoldus Moguntinus ne ipsi quidem Papæ voluit cedere in sua diœcesi, quid mirum est, eodem jure adversus illum esse usum Coloniensem, & pristinum coronandi jus Moguntino saltim ex parte fuisse ereptum?

Quin ad hunc modum sane utrumque illud potuerit oriri, nemo dubitabit humanarum rerum gnarus. Nec enim prudens quis ignorat, quam ab ineptis opinionibus sæpe res maximæ originem cœperint.

## VI.

Cæterum, hac quoque dubitatione soluta, nihil superest, nisi ut brevibus perlustremus ipsam ultimam Coloniensem Defensionem, si forte illa habeat aliquid quod nondum à nobis sit tactum: ne queamus videri non probe defuncti nostro munere afferendi jus Moguntinum.

Igitur pag. 40 occurrit quidem memoria legis à Carolo Magno latae de coronationibus Aquisgrani institutendis: sed illam fabulam jam supra explosimus. Utque vera sit, ni-

fit, nihil facit ad id quod in quæstione est: num si coronatio extra etiam Aquisgranum aut diœcesin Coloniensem sit instituenda, consecrandi officium sit penes Coloniensem an Moguntinum? Nec vero existimaverim, in id factam mentionem illius fabulosæ legis Carolinæ, ut probetur, etiam hodieque Aquisgrani solummodo coronationes peragi debere. Fuerit enim hoc conjunctum cum injuria saltim quinque nostrorum proxime sibi succedentium Cæsarum, ut & ultimi Romanorum Regis, ne nunc moveam alia.

Pag. 41 promittunt quidem Defensores, se probaturos suam thesin cum bullis Pontificum & rescriptis Cæsarum, tum perpetua consuetudine: revera autem nihil in omni libello minus quam hoc præstant.

Inter bullas Pontificum *e ad pag.* primo loco laudant testem bullam Leonis III; qua Hildeboldo Colonienfi ille contulerit coronandi jus. Ast bulla illa nusquam comparet, & non nisi fabulose jactatur. Utque sit quædam talis bulla, nihil juverit causam Coloniensem, utpote quum ipsis Defensoribus fatentibus illa eadem bulla coronationes omnes Aquisgranensium urbi adstrinxerit, ac proinde dederit Colonienfi non nisi sua in diœcesi coronandi facultatem.

Majorem speciem habent verba Innocentii III, Clementis IV, & Urbani IV, Pontificum, adducta pag. 42, 43. & 44. Jam tum vero ostendimus, illa ætate per commenta Aquisgranensia fuisse homines deceptos, ut crederent non esse fas alibi coronari Reges nostros quam Aquisgrani, & quidem à diœcesano Archiepiscopo. Id certe non potest quem latere, qui tantum est peritus eorum quæ circa coronationem Philippi & Ottonis contigerunt, quanto

nempe cum sumptu, quanta vi Cæsares pugnauerint de conciliandis sibi Aquisgranensibus, uti in urbe ista possent coronari.

In hunc sensum itaque duntaxat loquuntur etiam illi Pontifices. Nec est quod credamus, in hisce non potuisse falli Pontifices; cum utique non sint quaestiones fidei, sed de iuribus & institutis Regni Teutonici, in quibus errare non posse Pontifices, nemo hactenus affirmavit. Et vero licet his Pontificibus longe plures alios opponere: omnes nimirum illos qui approbaverunt Regum coronationes, extra Aquisgranum & a Moguntino institutas: quorum numerus longe est maior numero ternario. Hi sane non admiserunt illa: *Ex antiqua Coloniensis Ecclesiae dignitate Archiepiscopum solummodo Reges & Imperatores coronare debere; aut illa: Coronationem Regum Alemanorum ad Coloniensem Archiepiscopum pertinere.* Ut & similia alia. Sed & iam audivimus, Guilhelmum Hollandum unctum esse à Moguntino: ut proinde non ita nude debuisset scribi fortassis in epistola ad Richardum Regem, paulo post V Vilhelmum electum Regem: *quod ex officio spectet in unctio, consecratio & coronatio Regis Romanorum ad Archiepiscopum Coloniensem.*

Friderici I. Cæsaris verba quæ adducuntur pag. 45. nihil ad rem faciunt. Nec enim aliud ille profitetur, quam *se debere Regalem unctioem Coloniensi*, quod longe est diversissimum ab eo quod probari debuit: omnes omnino Romanorum Reges debere inungi à Coloniense.

Similiter nihil ad rem faciunt historiae quæ adferuntur à pag. 45. usq. ad 55, de coronatis Regibus per Colonienses Archiepiscopos. Ut enim omnes illæ historiae fuerint veræ, nihil tamen aliud docent, quam frequentissime omnium coronationes Regias esse in diocesi Coloniensi ab illo

ab illo Archiepiscopo institutas. Id quod nemo negat. Probari autem debuit, coronationes saltim interdum fuisse extra illam dioecesin à Coloniense peractas. In omni autem illa congerie tale aliquod exemplum ne unicum quidem comparet.

Multæ quoque fabulæ irrepsertunt inter historias illas. Ita pag. 45, Ludovicum Pium coronatum esse ab Hildeboldo asseritur quidem, sed jam supra à nobis est convictum falsi.

*Pag. eadem* scribitur: Lotharium ab eodem Hildeboldo coronatum, idque sine ullo testimonio, tantum ex conjectura. Quasi vero tum temporis omnis coronatio fuerit peracta ab Episcopo aliquo.

Pag. 46 quæ adferuntur de coronatione Cæsarea aliquot Cæsarum post Lotharium, nihil faciunt ad nostrum argumentum. Perperam quoque asseritur, de coronatione Regum post Arnolphum usque ad Henricum Aucupem nihil haberi certi: nos jam supra Ludovici & Conradi coronationes descripsimus.

In coronatione Ottonis II primas partes fuisse Archiepiscopi Coloniensis, pag. 47 perperam item colligitur, ex verbis quidem Rogerij allatis, ceu jam supra monuimus.

Similiter quæ adferuntur p. 47 de VVarino ægrotante, & quasi Moguntinus tantum *assistit coronationi Ottonis III*, illa jam supra falsi convicimus.

Vt & quæ *eadem pag.* habentur de iterata coronatione Henrici II jam rejecimus.

Pag. 48. Sine causa Lamberti Aschafneburgensis fides in suspensionem trahitur, & rejicitur exemplum Rudolphi Svevi: utpote quum hujus coronationem omnes pene

Imperij Principes, imò ipse Pontifex Romanus Gregorius VII, tum probaverint.

Pag. 50 frustra jactitantur illa Güntheri verba: *Veneris juris*. Quam vetus illud justunc fuerit, & aulam Cæsaream fuisse deceptam, liquidum jam fecimus.

Pag. 51 non male quidem ex Beka notatur, VVilhelmum Hollandum Aquisgrani coronatum esse à Colonienfi: ostendimus vero nos, unctum illum Regem, non à Colonienfe, sed Moguntino.

Pag. 52, quæ adferuntur de coronata Elisabetha, Cæsaris Alberti Austriaci uxore, illa nullius esse ponderis, itidem jam supra ostendimus.

Pag. 53 recte quidem ostenditur, Trevirenses conatum fuisse dubium reddere ius Moguntinum: at hinc non sequitur Trevirensis causam fuisse potiolem. Imo necessum est Moguntinus vicerit, utpote qui *intra proximum mensem* debuerit probare ius suum: idque indubie fecerit, cum ex eo tempore à nemine Trevirensium quidquam amplius hac in re fuerit motum.

Quæ pag. 55.56. & 57 adferuntur ad exempla pro iure Moguntino adducta, iam supra vindicavimus. Perperam quoque adfirmatur p. 57, quatuor tantum adducta esse exempla in Moguntino libello, plura enim recensentur: nos adhuc alia addidimus.

Maximum causæ suæ præsidium videntur Defensores collocare in Aurea Bulla Caroli IV. quare *paginas aliquos integras, 58 nimirum, 59, 60, 61, 62, 63* amplius in illius urgendo patrocinio conterunt. Revera tamen tota illa Bulla nihil habet quod vel tangat leviter hoc negotium: præter pauca hæc verba tit. 4. *Coloniensi Archiepiscopo compertis dignitas*

*dignitas nec non officium Romanorum Regi primum diadema imponendi* Hæc vero nihil omnino juvant Coloniensem.

*Primum* enim palam est, verbis illis nihil novi scisci, sed tantum significari, quoniam officio jam tum gauderet Coloniensis. Id cum fuisset monitum, Defensores illi pag. 62 non dubitarunt hoc in sinistrum sensum accipere, quasi nimirum voluerint Moguntini, omnem legis auctoritatem instituto isti de munere coronandi, quod Coloniensi competit, derogare. Perperam vero & præter mentem Scriptorum. Caterum illis verbis Aureæ Bullæ novi nihil constitui, etiam ipsi Colonienses utique fatentur: utpote qui juris Coloniensis originem arcessant ab exordio usque Imperij Germanici. Jam vero liquidum fecimus, omni antea cto tempore, non aliud jus coronandi vel competiisse Coloniensi, vel ipsos Colonienses sibi arrogasse, quam illud quod est diœcesios limitibus definitum. De ulteriore igitur jure aliquo neutiquam sermo est in Aurea Bulla isthac.

Patet hoc ipsum, *secundo*, ex ipsamet Aurea Bulla; quippe quæ ponit tanquam certum: solum Aquisgranum esse justum locum coronationis Regiæ. Verba hæc sunt: *Invenimus etiam ex clarissimis relatis & traditionibus antiquorum, illo à tempore cujus contrarij jam non habetur memoria, per eos qui nos præcesserunt feliciter, esse id observatum, ut Regis Romanorum, futuri Imperatoris, in civitate Franckeford celebraretur electio, & prima coronatio Aquisgrani, & in oppido Nuremberg prima sua Regalis curia haberetur. Quapropter certis ex causis, etiam futuris præmissa servari debere temporibus, declaramus; nisi præmissis omnibus, seu eorum alicui impedimentum legitimum obviarit.* Hæc verba utique indicant, sermonem Cæsari in omni hac Aurea bulla, quod coronationem quidem

dem attinet, esse tantum de eo, quod ordinarie fieri tunc solitum, aut fieri in posterum debeat. Ac proinde & illa verba superius adducta ex tit. 4. non aliter accipi debere: quam ordinarie, & si quando Aquisgrani instituitur coronatio, officium diadema imponendi competere Coloniensi.

3. *Terzio* hanc veram esse mentem illorum verborum, confirmat quam maxime ipsorum Coloniensium in eam vetus & perpetua consensus. Nec enim post Auream bullam latam quisquam eorum vel tentavit extra diocesim instituire coronationem: cum tamen interdum id minus esset commodum. Ad hoc à Ruperto Palatino Cæsare curaverunt quidem singulari privilegio sibi indulgeri, coronationem interdum instituendi extra Aquisgranum, diserta tamen addita illa clausula: *intra suam diocesim*. Illud ipsum privilegium quoque Carolo V proposuerunt. Nec posthac unquam Moguntino extra diocesim Coloniensem coronanti, vel facultatem coronandi delegaverunt, vel super injuria sibi facta intentaverunt litem. Quæ jam supra ursumus.

4. *Quarto* etiam hoc observandum unice venit: verbis illis Aureæ bullæ jus aliquod *consecrandi* Regem neutiquam tribui Coloniensi, sed solummodo jus *primum coronam imponendi*. Hoc unum sane diserte ibi memoratur. Atqui coronæ impositio non est aliquod munus sacerdotale: eoque olim à Laicis, imo ipsis Principibus facta est, prout jam tum monuimus. Sola sc. unctio & benedictio aliquid sacri muneris habet. Igitur ut etiam verba illa Bullæ sint intelligenda de aliquo jure, quod per omnem Germaniam competat Coloniensi, hinc tamen minime sequitur, consecrandi jus ad unum illum pertinere. Et vero iam tum clarissimum fecimus, non nisi ex privilegio omne illud jus etiam intra suam diocesim convenire Coloniensi, alioquin uni Mo-

uni Moguntino debitum : privilegia autem stricti iuris esse, nec prodiga aliqua interpretatione amplianda, apud omnes in confesso est.

Hisce probe expensis non est quod in animadvertendis iis, quæ Defensores disputant de mente Bullæ aureæ, ad pag. usq. 64, immoremur.

Illa vero quæ pag. 64 adferuntur exempla coronationum, post Auream bullam promulgatam institutarum, potius causam Moguntinam iuvant, quam Coloniensem; certe nihil illi officiunt. Omnes enim illæ à Coloniense quidem sunt institutæ, at non nisi intra diœcesin : idq; quia ne ausus quidem ille fuerit eas alibi aggredi.

Eadem pag. non potuerunt tamen negare Defensores, ordine quinque Regias consecrationes (accessit vero jam & sexta in complementum felix secundi ternarii) à Moguntino, non autem à Coloniense peractas esse.

Excusare tamen id conantur paginis sequentibus eo maxime, quod Colonienses Principes temporibus coronationum non fuerint infulati, atque adeo inidonei sacro muneri peragendo : eo etiam, quod nihilominus illi Principes caverint suo iuri per protestationes & acceptas assecurationes.

Verum enim vero etsi fortassis Principes illi crediderint, Moguntinum non potuisse rite fungi consecrandi munere, nisi obstitisset illa sua inhabilitas, non tamen hoc ipsum præiudicat causæ Moguntinæ. Nec enim alienus de rebus tuis error tuis iuribus quidquam derogat, ut nec quidquam addit. Probavimus vero iam tum nos, etiamsi fuissent infulati Colonienses illi Principes, non potuisse tamen ab iis institui sex illas coronationes Regias; utpote quæ fuerint peractæ extra Coloniensem diœcesin. Fuit

F

certe

Terte hæc Moguntinorum Præsulum perpetua sententia eoque usi sunt suo proprio iure, nullo autem verbulo petierunt à Coloniensibus sibi illud ad tempus indulgeri. Imo ne ipsi Colonienses quidem aliquo vel levissimo actu Moguntinis coronandi facultatem commiserunt, aut à sese esse commissam significavere. Quod fieri debuisset, si non proprio, sed alieno munere Moguntini fuissent functi. Imo per est verosimile, saltim coronationem Maximiliani II (ad cuius exemplum sequentes sunt institutæ) ideo esse extra Coloniensem diœcesin peractam, ne Coloniensi juri quidquam decederet.

Quod Colonienses petierint sibi caveri, ne juri suo coronandi actibus illis Moguntinis quidquam præjudicaretur, quodque interdum id ipsis fuerit indultum; illi rei ut refragarentur multum Moguntini, nihil fuit causæ. Nec enim illis animus unquam fuit, juri Coloniensi suis illis coronationibus quidquam derogandi: ut nec derogaverunt. imo derogare non potuerunt. Omnes enim illæ coronationes sunt institutæ extra diœcesin Coloniensem, cuius finibus ius Coloniense circumscribitur: ac proinde Coloniense ius verum & priscum haud læserunt.

Observatu porro dignum est, ex iis quidem quæ adferuntur pag. 66, non liquere, quod anno 1562 Coloniensis crediderit, sibi per Moguntinam coronationem quidquam derogatum. Etenim verba illa possunt intelligi eo sensu: quod cautum sibi voluerit, ne isthoc coronationis actu forte existimeretur omne ius coronandi in Moguntinum esse derivatum. Id sane ex eo merito colligas, quod quo tempore Rudolphus II dus fuit coronatus, Coloniensis ne quidem tali modo sibi caverit, sed tanquam à re non necessaria

cessaria & inutili abstinuerit. Cautionem certe nullam esse interpositam, palam est ex ipsa Coloniensium Defensorum narratione quæ pag. 66 continetur. Imo nec in Matthiæ coronatione dixeris à Coloniense Ferdinando cautionem aliquam interpositam, cum nec illam Defensores attulerint in medium: satis industrii alias causæ suæ patroni. Ne quidem ex verbis Ferdinandi II Cæsaris quæ adducuntur pag. 79 certo colligas, Cæsari tum fuisse persuasum id quod hodie à Coloniensibus prætenditur; sed tantum, ordinarie quidem Coloniensi competere ius coronandi, perinde ut ordinarie coronatio debet fieri Aquigrani. Id quod nemo negat. Certe alium sensum esse Reversalium literarum anno 1637 Coloniensi à Cæsare exhibitarum, nullo firmo argumento probare est.

Quod pag. 68 Defensores voluerunt esse causæ argumentum *ultimum*, & *instar omnium*, illud sane per est leve, atque adeo indicat, etiam reliqua omnia simili esse levitate. Fuerit enim tale, si in formam syllogisticam cogas:

*Si nullus actus coronationis institutus est à Moguntino, quo tempore Coloniensis vel fuit præsens vel infulatus, ex aduerso autem contigit extra diæcesin Coloniensem aliquando coronationem institui præsentem Moguntino, ergo coronandi ius simpliciter competit Coloniensi.*

*At verum est prius E. & posterius.*

Huius sane argumenti & Maior & Minor propositio vehementer laborant. Nec enim in Maiore ulla est vis consequentiæ; ut patebit, si Syllogismus in Catheticum commutetur. Et vero satis est probando iuri Mo-

guntino, si coronationis actus à Moguntino instituti fuerint rati. Præfens an absens fuerit Coloniensis, nihil ad rem facit. Posse certe illud per accidens tantum aut adesse aut abesse, negari non potest. Ad hoc certum est, si forte Moguntini delegatione Coloniensis actum coronandi aliquem exercuerit, eo utique nihil accessisse juris Coloniensi. Certè si Majorem illam propositionem velis in categoricam mutare, quatuor aut quinque terminis Syllogismus constabit.

Minor quoque falsissima est. De Ottone enim saltim I, ut & de Conrado II, deque Wilhelmo constat, & extra controversiam est, (nec enim alios nunc tangam) consecratos illos esse à Moguntino, præsentibus infulatis Coloniensibus. Nec coronata est Elizabetha Austriaca (quod unum jaçant, etsi una hirundo ver non faciat, ut est in proverbio) extra diœcesin Coloniensem, proprio Coloniensis jure, quod falso supponitur; sed tantum ex commissione & singulari consensu Moguntini.

Proponemus ex adverso nos argumentum longe validius & certius.

*Si nullum omnino coronationis actum Colonienses exercuerunt extra diœcesin, ab initio usque Imperij Germanici, et si id ut facerent saepe res prope flagitavit, ergo nec jus illis fuit hætenus coronandi extra diœcesin.*

*At verum est prius: ut supra probavimus.*

*Ergo & posterius.*

**Addemus & alterum:**

*Si Mo-*

*Si Moguntinus sepius coronavit Reges, & quidem omnes consecrationes quæ extra diœcesin Coloniensem fuerunt institutæ, peregit, probantibus omnibus Ordinibus Imperij, imo ipsis Pontificibus Romanis, competit Moguntino jus coronandi saltem extra diœcesin Coloniensem.*

*At verum prius est: quod probavimus, Ergo & posterius.*

*Pag. 69 perperam Moguntinæ causæ patroni tanguntur, quasi illi jus coronandi ad jura diœceseos restrinxerint. Nec enim hoc illis venit in mentem. Tantum hoc voluerunt; Coloniense omne jus niti prætextu juris diœcesani. Quod revera est nihili, nisi accessisset longi temporis præscriptio quædam.*

*Reliqua non indigent aliquo responso. Nam & illud nullius est momenti: quod nimirum Buxtorfius, Rummelinus, Ostermannus, & alij nonnulli, Coloniensi causæ adstipulati sint. Nec enim errores scriptorum detrahunt quidquam solidis Principum juribus. Et quid est notius, quam ab illis, cætera præclaris viris, complura esse commissa ob ignorantiam rerum veterum, aliorumque Imperij actuum?*

*QVVM itaque in Defensione etiam novissima Coloniensi nihil occurrat, quo Moguntinum jus saltem impro-*


babile possit merito reddi, illud vero firmis argumentis jam fit ante astructum, non est quod huic loco amplius immoremur.

Deum veneror; ut, cuius jure suo reddito, pax & tranquillitas publica Imperij salva semper maneat floreatque.

**F I N I S.**



QVVM in Defensione eius nobilissimis Cole  
gati nihil occurrat quo Meritum us saltem impie  
babat



005647266